



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

XIX. Quid senserit de Societatis instituto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

se prodebat amoris eius in Deum vel in homines incendium, quòd licet tantoperè actionibus, verbis, scriptis, vt cancellis prodatur, in animo tamen eius tantò magis arde- re credendum est, quanto cum dò- mus ardet, incendium in visceribus maius est, quàm quod per fenestras erumpit. Eius sanè animus in hac re templo illi Salomonis poterit con- ferri, cuius fenestras legimus exte- riùs angustas, intus admodum didu- ctas exstitisse, vt certum sit ea om- nia, quæ foris prodita, nullo modo animi eius magnitudinem & cordis latitudinem (vt cum scriptura lo- quar) exæquasse.

CAPVT XIX.

*Quid sentiret de Societatis
instituto.*

ITa gratus fuit suæ ad Religiosũ statum vocationis æstimator, vt nullum ferè finè. faceret vel lo- quendi ea de re, vel Societatis insti- tutum euehendi. Quæ eius de illo elogia, digna tanto viro, ideò affe-

R. 6. ram.

ram, vt omnes, qui in eandem IESV
 familiam cooptati sumus, vocatio-
 nē nostram ex huius etiam sensu æ-
 stimantes, certiolem facere fataga-
 mus. Ac si cuipiam nimius fortasse
 videatur admirator, ego illum arbi-
 tror nondum satis in beneficij ma-
 gnitudinem penetrasse: quę hīc e-
 nim de Societate nostra dicentur,
 non ita dicuntur, quin illa sanctis
 aliorum ordinum institutis æquē
 conueniant. Neque enim nos odio-
 sam instituimus collationem; sed i-
 ra quemque par est de suo instituto
 sentire suo respectu, si velit Deo, vt
 decet, grates exhibere. Ita verò quā-
 dam Epistolam latinē exorditur:
 Patres carissimi, fratresque dile-
 ctissimi, summoperē gauisus sum
 per litteras nuper ad nos missas
 Goā, metropoli Indiæ, animaduer-
 tens perspicuitatē ignis spiritus al-
 mi, dispersi in orbe terrarū, in mō-
 dum stillicidij, stillantis super terrā
 in barbā, barbā Aaron. Quid mi-
 rum? cum oleum effusum nomen
 eius, & ea ipsa oculis cernam, quę
 mihi

m
 xi
 ro
 no
 tis
 op
 est
 qu
 po
 ni
 di
 via
 ten
 me
 op
 bi v
 toti
 cui
 de
 præ
 eni
 gres
 que
 vite
 pun
 ra d
 rum

mihi haftenus peroptata fuere, vexilla Crucifixi, rutilantia per choros castrorum & acies Societatis nostræ in valle miserabili, vbi mortis imago triumphat. Eia, eia, fratres optimi, Deus noster ignis consumēs est, & ignem venit mittere in terrā; quid vltra immoramur? iam tempora beata, iam adest dies festiuus, niuei lapilli, vt Princeps huius mūdi expellatur forās. mors in prōptu, via decurrit, via longa, per quam tendimus, vt prosperè attingamus metā vocationis nostræ. Nec enim oportet nunc genio indulgere, ac sibi viuere. Aggrediamur nūc itaque totis viribus colluctationem illius, cuius iugo oppressi periclitamur, ne penitus per abrupta montium præcipitati, funditus demergamur: enitamur, vt videamus pastorem gregis humani Christum Iesum, quem Dominum profiteamur, qui vitulum, leonem, ac pardum & lupum cum agno minabit ad interiora deserti, iuxta tabernacula Pastorum, vt delicijs affluant in montibus

bus sanctis. O quàm dilecta tabernacula Domini virtutum! quid trepidi trepidare metu pergimus, quin id ipsum, toto corde desideremus, inhabitare atria Domini? gaudete, exultate, copiosa merces in cœlis absterget omnē lacrymam ab oculis eorum, quorum nomina scripta sūt in libro vitæ. Vincenti dabitur māna absconditā, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. O quā magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, Domine! hætenus latinè; sed pergit: O fratres carissimi, quantum cupio litteris explicare maximum & inexplicabile gaudium meum, quod videam sanctam Societatem nostram, sic euectam, tam incensis votis ac feruoribus, quodque per totam Europam, Asiam, & Africam circumferunt vexilla boni Iesu tāto animo, ac ita imperterriti, ac si essent immortales! Omnia præsentia contemnunt, arbitantes vt stercorea, vt Christum lucrifaciant, qui
 vt nos

vt
 tem
 aut
 tus
 fen
 tate
 def
 cast
 tes
 qui
 nui
 est
 lust
 loc
 do
 qui
 stur
 to a
 cum
 me
 aur
 tell
 cipi
 se n
 tis I
 Hoc
 vest

vt nos seruaret, omnia quoque contempfit, ad mortem vsque, mortem autem crucis; non rapinam arbitratus se esse æqualem Deo, exinaniuit femetipsum. Quis nos ab eius caritate separabit? quin cum eo in terra deserta profugi, egrediamur extra castra, improperium eius portantes, aspicientes in auctorem fidei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Extra portam passus est confusione contempta. Sed illustris est in hoc genere alius eius locus, quo sic socios affatur: Credo duas res fratres nostros fulcire, qui regionibus omnibus vagi Christum in tantis laboribus ac tanto amore & perfectione sequuntur, cum tot nationibus agunt soli in medio nationis prauæ. Qui habet aures audiendi, audiat, & corde intelligat, vt nemo se suo spiritu decipiat, sed se semper prouchat, de se non præsumat. Spiritus Societatis IESV non potest esse superbus. Hoc verò accipite à misello fratre vestro consilij, vt cum mitti vos cōtinget,

402 VITAE GASP. BARZAEI
tinget, Deo armati sitis, quia Domi-
nus illuminatio nostra & prote-
ctor noster. quid timebimus, nisi irā
ipsius? quas duas res ego semper
sum expertus: nam aliter fieri non
potest, vt mollis, tepidus ac geli-
dus, qui huc sum missus, tanquam
res Societati inutilis, per tot ignes
tribulationis transirem, nec lique-
fierem; in quibus tanquam aurum
in fornace probat nos altissimus.
Baculo nostro transiuimus Iorda-
nem, sed cum duabus turmis regre-
dimur, & ita Goam ad Collegium
D. Pauli scripsi. Duarum earum re-
rum vna est, quòd Iesus Societatem
tanquam suam defendat & socios
illius: atque ita non intendit meri-
ta, sed hoc per se facit. Altera est
posita in orationibus carissimorum
Patrum ac fratrum in Europa & In-
dia, quæ semper feruent ante Deū,
quia multa membra, vnum corpus
sumus, caput autem Iesus; atque ita
multi ac varij famuli obsequium
vnum faciunt. Alij sunt manus, qui
varijs occupationibus destinantur,
vt qui

vt qui versantur in terris à sua re-
 motissimis: alij sunt pedes, ij scili-
 cet, qui feruent desiderio pro Chri-
 sto multa patiendi: alij lingua, qui
 pro alijs assiduè deprecantur: alij o-
 culi, qui semper vigilant super gre-
 gem suum, tanquam bonus pastor:
 alij aures, qui semper student: alij
 nares, qui virtutum vnguenta vel o-
 dorantur, vel dispergunt: alij intel-
 lectus, atque ij sunt speculatiui: alij
 memoria, vt docti: alij voluntas, vt
 actiui, qui in culina, porta, tricli-
 nio, &c. versantur & occupantur.
 Et omnes sunt administratorij spi-
 ritus, in ministerium missi. Nullum
 membrum dicere potest, se alterius
 opera non egere: alterum sine alte-
 ro erigere se non potest: quod faci-
 mus omnes, hoc vnum est eidè Deo
 famulari. Quid mihi prodest, hoc
 esse membrum potiùs, quàm illud,
 si omnia æqualiter laborant? nul-
 lum sine altero potest quicquam
 facere. Quid igitur refert esse me
 vel manum vel pedem? quid refert
 in Societate tota vita mea esse co-
 quum

quum

quam minùs, quàm concionatorem infidelium, & mundum vniuersum conuertere, si facimus omnes vnum & idem? Et post pauca: Tria faciunt Societatem: Vnum, cognitio propria, demissio atque paupertas: alterum, cognitio aliorum, Dei scilicet & proximi. contemplatio ad amorem Dei; actio ad proximi dilectionem refertur: tertium, discretio & scientia ad vtrumque conseruandum; litterarum, inquam, cognitio, quoniam ea inter Saracenos, Gentiles, hæreticos, Iudæos versantibus est necessaria. Ex humilitate ascendamus ad cognitionem Dei & proximi, & inde ad litteras. Hæc porrò omnia non dixi docendi causa, sed solùm in memoriam carissimis fratribus reuocandi, vt hæc vestris in locis non minùs necessaria cognoscatis: in me Dominus supplet. Hactenus ille. Alio verò loco sic exclamat: O fratres carissimi, beata illa hora, in qua Dominus fecit misericordiam cum seruo suo, suscitans à terra inopem, & de stercore

core

tore erigens pauperem, vt collocet
 eum cū Principibus populi sui, qui
 estis vos! Ergo beata illa hora, dica-
 mus omnes, non demissa voce, sed
 velut Chananæa: Venite & videte,
 quanta fecit Dominus animæ meæ.
 Misericordias Domini in æternum
 cantabo in generatione & proge-
 nie, quòd Dominus voluit hanc So-
 cietatem erigere per nostrum S. P.
 Ignatium. O Pater Simon, quantum
 tibi debeo! Quid retribuam Domi-
 no pro omnibus, quæ retribuit mi-
 hi? nihil mihi superest præter ani-
 mæ deliquium & lacrymas. Si hoc
 ego de me dico, quid de se dicent il-
 li Conimbricenses Angeli? Benedi-
 cta sit illa hora, qua intraſtis in So-
 cietatem Iesu Christi. O planta san-
 cta, fundata in cognitione sui ipsius
 super Christo, & rigata eius pretio-
 ſo ſanguine, deſoſſa à Martyribus,
 vallata à Confessoribus, ſeruata à
 Virginibus, honorata ab Angelis,
 amata à Deo Patre, directa à Spiritu
 Sancto, nominata & poſſeſſa à Chri-
 ſto! Etiãſi videaris, ò Societas ſan-
 cta,

eta, planta noua; es tamen fortissi-
 ma, quia es transplantata in pauper-
 tate Christi, extendis radices vsque
 ad mare & vsque ad flumen propa-
 gines tuas. mare mundus est; amor
 proximi, flumen. paradisus es vsque
 ad contemplationem Dei. Qui no-
 stræ salutis auctorem Christum &
 hunc crucifixum non sequitur, ana-
 thema sit. Quæ conuentio lucis ad
 tenebras? Laudate pueri Dominum,
 laudate nomen Domini. Sit nomen
 Domini benedictum ex hoc nunc &
 vsque in sæculum. Hæc ille, impetu
 spiritus abreptus in diuina enco-
 mia. Sed iuuat illum alio loco, quæ-
 dam, qui Masquate ad eum scripse-
 rat Societatem petens, monentem,
 vt ferio secum ipse de re tanta sta-
 tueret, & Societatis institutū pro-
 ponentem, audire. Totam eam epi-
 stolam, quoniã digna mihi visa est,
 hîc subiungam.

Gratia & amor Iesu Christi Re-
 demptoris nostri sit semper in cor-
 dibus nostris, Amen. Tuas accepi
 tanto animi mei gaudio, quantum à
 Domi-

Do
 gra
 tor
 qua
 voc
 ad
 ter
 ille
 bet
 fui
 illi
 de
 ues
 nen
 re. S
 unt
 err
 stol
 tuer
 in r
 sati
 tuo
 bor
 non
 dea
 sanc
 laud

Domino nunquam merui . illi gratia , qui tantam habet peccatorum curam, & errantium ouium, quæ suum agnoscentes errorem, vocem eius vt pastoris audiunt, ad eius ouile redeunt , eum de cetero secuturæ . Atqui probè nouit ille, quæ sint suæ; quas selectas habet ante mundi constitutionem, ad sui nominis gloriam, quæ iustitiam illius, sed & clementiam timēt . Vide vt datam tibi coronam tibi serues, ne quisquam in eius possessionem inuadat, quod poteras obtinere. Spiritus Sancti motus non patiuntur moras, quibus consentiendo errari omninò non potest. In ea epistola fusè narras, apud te quid statueris; bono nimirum I E S V seruire in nostra Societate, & in compensationem præteritorum peccatorum tuorum strenuè pro eius amore laborare. Nihil est eorum, quod mihi non magnoperè probetur & arri-deat, cum iter illud ad salutem sit sanè securius; ac etiam, quòd à te laudari Deum, in vicem omnium

CON-

cōtumeliarum, quas ab impijs quotidie patitur, omninò gaudeā. Consilium hac in re meū quod expetis, est eiusmodi, planè vt extemplo cōpleas, quod tibi à Spiritu Sancto est inspiratum. Ille quippè neminem fallit, & quemque ducit ad salutem ea via, quam cuique mundi conditor destinauit. Et sanè ad magna vocat, cū te ad Societatis nostræ vocat institutum. Ea res est eiusmodi, vt præponi iure toti debeat vniuerso, ne, vnde cum insigni gloria coronam in æterna vita nancisci poteras, ex eodem æternam ignominiam cum Cain consequaris, dicente Domino: Ite maledicti in ignem æternum. Dicis insuper, quòd me sequi cupias, ac mori mecum, si res ita ferat, in craticula affatus. Iste feruor in genere desiderij magnus est; sed in opere quid futurum esset, ignoro. Multum differt Christi crux in imaginatione depicta, aut intellectu, ab ea, quæ viua est Martyrij tempore. Pomaria & arbores suis onustæ floribus aut fructibus

ctibus

tibus æstiuo tempore multum pla-
 cent: sed procellosa hiemis tempe-
 stas plus laboris adfert, cum sunt
 vel pastinanda vel putanda. Ita
 sunt res diuinæ, quas quamdiu
 munus admiratur, facile est am-
 plecti: sed alieno tempore Chri-
 sti crux admodum solet esse one-
 rosa. Ille quidem ipse si sub il-
 lius pondere in plateis Hierusa-
 lem gemuit, & lapsus est, quid
 est à nobis in hac miseriæ valle ex-
 spectandum? Diuorum tormenta,
 quæ nos æstimamus, sæpe arrident:
 sed eadem ipsa coram tyrannis, sub
 quibus illi ea pertulerunt, essent sa-
 nè acerba. Eo quippe tempore vrgēt
 fames, sitis, contumeliæ, ignomi-
 niæ, nuditas, ludibria, inopia, verbe-
 ra, & mors ipsa, vt est apud Prophe-
 tam: Propter te mortificamur tota
 die, facti sumus sicut oues occisio-
 nis, quæ à nemine æstimantur. Verū
 vt è statu illo tuo ad alterum im-
 mobilem transeas prudentis est an-
 te cōsiliū capere, quàm perficias,
 & perpendere vtrunque comme-
 da &

da & incommoda, vt cùm rem oc-
 coeperis, nihil te terreat aut auer-
 tat. Atque ideò te etiam atque etiã,
 vt amicus sincerus, rogo, vt accura-
 tè dispicias, quid sis factururus. Per-
 pende attentè, quæ subiungam de
 nostra Societate, ne deinde te dece-
 ptum à me querare. Nostra Societas
 è tribus constat: Extrema pauper-
 tate, extrema castitate, extrema o-
 bedientia. Paupertas versatur circa
 fortunas, pecunias, parentes, ami-
 cos, honores, mundi oblectamenta,
 in cibo, potu, veste, calceis, somno:
 denique non possidere vlla bona
 temporalia; sed ea nec optare, imò
 & ab ijs abhorrere, & ipsa pauper-
 tate gaudere, propter eam fraudem
 quam continent eius generis bona.
 Huc pertinent despici pro Christo,
 labores, iniurias eius causa optare,
 quòd ei seruiamus & non mundo,
 abijcere vniuersa, vt in illa gloria
 consequamur vniuersa. Castitas in-
 telligitur, vt in operibus casti fi-
 mus; cor nostrum semper in amore
 puro conseruemus cum Christo, nò
 per-

*Societas
 Iesu qui-
 bus con-
 stet.*

Permittendo, vel ut in eo sint de carne cogitationes, neque de mundo aut eius vanitate; sed liberti Christi sumus, qui noster est sponsus, pro quo mori cupimus, ut semper cum eo viuamus. Obedientia intelligitur, ut non amplius cupias, quàm quantum à Rectore fuerit mandatum; tum ut propriam voluntatem neges, & unicam Dei voluntatem exequaris. Vides hinc labores nostræ Societatis. maximus ac minimus æquales sumus: qui socius meus esse cupit, ei sunt eadem quæ mihi non magis vel minùs toleranda. Non est discipulus super magistrum. At ne isti labores te in sancto tuo proposito perturbent, cupio te ijs animare, quibus Deus nobiscum efficit, ut nihil horum sentiamus. Negare non possumus, quin tibi similes homines infirmi sumus: idcirco enitere; idem qui ad perseuerandum nos roborat, easdem tibi vires dabit: æquè enim in omnes potens est & benignus. Primū quidem, ut scelerum nostrorum & ob-

S lecta-

lectationis, quam ex ijs cepimus, nos capiat obliuio, mortem nobis ob oculos ponimus, quam tristis ea sit peccatori; tum rationem, quam in illo formidabili iudicio sumus reddituri; tum pœnas illas peccatis præparatas, & illorum labores, qui quietem quæsierunt. Accipimus deinde exemplum Christi, Apostolorum, Martyrum, ac Diuorum reliquorū, vt eos magno animo ad mortem vsque consequamur, cum honori sit seruo, herum sequi, & creaturæ, Creatorem. Quid enim Christianus maius consequi potest, quàm Christum ad mortem vsque ipsius crucis consecrari? Quis nos separabit à caritate Christi? non fames, nõ sitis, non labores, non mors. Tertio deinde proponimus nobis gloriam Sanctorum & nostram, quæ est ipse Deus, ac eum videre & amare in sanctorum Angelorum Societate, vbi oculi explebunt se videndo, aures audiendo, lingua loquendo, intellectus intelligendo, memoria recordando, voluntas amando: de-
nique

nique omnes sensus in delectatione
 conquiescent. Habebimus vitam si-
 ne morte, sanitatem sine infirmita-
 te, diuitias sine paupertate, saturita-
 tem sine fame, gloriam sine fastidio:
 quia ille, quem cupimus possidere,
 est omne bonum in omnibus, & si-
 ne illo est nihil. Miser ille, qui per-
 det illum; felix, qui eum in æter-
 num possidebit, Amen. Vides igitur
 hîc, vt orbem spernimus & mori
 cupimus, vt cum Christo quiesca-
 mus. totum detestamur, præter v-
 num eius obsequium, in quo gloria-
 mur. In paupertate sumus admo-
 dum diuites. quid enim illi deerit,
 qui habet in se omnia? nihil habe-
 mus & omnia possidemus, Deum
 scilicet ipsum, ipsius cõditorem v-
 niuersi. In obedientiæ captiuitate
 liberiores sumus ijs omnibus, qui
 in mundo viuunt; quoniam viuimus
 ex arbitrio nostro, secundum ratio-
 nem directo, quod semper cum Dei
 conuenit voluntate, atque ita no-
 stro sēper viuimus arbitrato. In ca-
 stitate ab omnib⁹ amamur: in castis

S 2

enim

enim relucet ipse Deus velut in speculo. Angeli nos cupiunt socios, virtute præditi, fratres. Amamus porrò omnes: primùm Deum, deinde proximum, sed in Deo. Magna sæpe sunt inter nos virtutum exempla, quæ inter cruces & labores latent; quæ si videret mundus atque intelligeret, eum nemo sequi vellet. Conuersatio nostra sunt Angeli, Deus. O quanta est multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus timentibus se! Crucis quidem labores non tanti sunt vt pinguntur. Christus sanè quantumlibet rogatus, è cruce noluit abire. Ita D. Simõ, cum alijs sanctis viris, qui multis blanditijs oppugnati fuerunt, vt de cruce descenderent. Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Vides hîc commoda & incommoda Societatis IESV: elige vtrum melius videbitur. His quidè si legibus cupis meus in labore socius esse, multùm sanè me astringis, ne te reijciam, sed potiùs cum multis amplexibus excipiam, cum illo
qui

qui passus vlnis in cruce nulli se negavit, vt laboris comites simus, deinde quietis æternæ sodales. Dominus, qui te suo spiritu illustravit, in itinere veritatis te deducat & confirmet in æternum, Amen. Armuziæ ex hoc Collegio Boni Iesu, Kalendis Octobris, 1550.

Seruus indignus omnium, *Gaspar.*

Ita sentiebat Gaspar, ita se iubebat comparare, si qui nostrum complecti volebant institutum. Satis equidem arbitror ex hac eius epistola & fragmentis aliarum nemini mirum videri debere, si Prorex ad eum scribens dixerit, litteras Gasparis à se acceptas ea veneratione, ac si fuissent D. Pauli; ita planè spiritum Apostolicum spirabant, vel rerum sublimitate, vel neglectu sermonis; quem veritus sum verborum fucis obscurare, satis gnarus, hanc illius incuriam sacram non ab alijs, quàm à me minus iudicandam.